

uerbi ab eo mutati argutiam.

Cap. iiiii.

**H**tonius Julianus rhetor perq; fuit honesti: atq; amoeni ingenii. Doctrina quoq; ista utiliore ac delectabili: ueterumq; elegantiarum cura: & memoria multa fuit. Ad hæc scripta omnia antiquiora tā curiose spectabat: aut uirtutes pensitabat: aut uitia rimabatur: ut iudicium factum esse ad amusim di-  
ceres. Is Julianus super eo enthy memathe: quod est in oratiōe. M. Tulli. quam pro  
Gn. Plancō dixit: ita aestimauit. Sed uerba prius: de quibus iudicium ab eo factum  
est: ipsa ponam. Quamq; dissimilis pecuniæ debitio & gratiæ. Nam qui pecuniam di-  
soluit: statim non habet: id quod reddidit. Qui autem debet: æs retinet alienū. Gra-  
tiā autem & qui refert habet: & qui habet: in eo ipso quod habet: refert. Neque ego  
nunc Plancō desinam debere: si hoc soluero. Nec minus ei redderem uoluntate ipsa:  
si hoc molestiæ non accidisset. Crispum sane inquit agmen orationis: rotundumq; ac  
modulo ipso numerorum uenustum sed quod cum uenia legendum sit: uerbi paulū  
ideo immutati: ut sententiæ fides salua esset. Namq; debitio gratiæ & pecuniæ colla-  
ta: uerbum utrobiq; seruare posset. Ita enim recte opposita iter sese gratiæ: pecuniæq;  
debitio uidebitur: si & pecunia quidem deberi dicatur: & gratia. Sed quid eueniat in  
pecunia debita solutaue: quid contra in gratia debita redditua debitiōis uerbo utrin-  
q; seruato differatur. Cicero autem inquit: quum gratiæ pecuniæq; debitio dissimilem  
esse dixisset: eiusq; sententiæ rationem redderet: uerbum debet in pecunia po-  
nit: in gratia habet subiicit: pro debet. Ita enim dicit. Gratiam autem & qui refert: ha-  
bet: & qui habet in eo ipso quod habet: refert. Sed id uerbum habet: cum proposita  
comparatione non satis conuenit. Debitio enim gratiæ non habitio cum pecunia co-  
fertur. Atq; ideo consequens quidem fuerat sic dicere: & qui debet in eo ipso quod de-  
bet refert: quod absurdum & nimis coactum foret: si nondum redditam gratiam:  
eo ipso redditam diceret: quia debetur: immutauit ergo inquit & subdit uerbum ei  
uerbo: quod omiserat: finitimum: ut uideatur & sensum debitiois collatae non re-  
liquisse: & concinnitatem sententiæ retinuisse. Ad hunc modum Julianus enodabat:  
diu iudicabatq; ueterum scriptorū sententias: quas apud eum adolescētes lectitabant.

**C**Quod Demosthenes rhetor cultu corporis atq; uestitu probris obnoxio infamiq;  
mundicia fuit: quodq; itē Hortensius orator ob eiusmodi mundicias: gestūq; in agē  
do histrionicum Dionisiæ saltatriculae cognomento compellatus est. Cap. v.

**D**Emosthenem tradunt: & uestitu cæteroq; cultu corporis nitido uenusto: Demo-  
nismiq; accurato fuisse. hinc etiam κομψή illa Χλαινίσ καὶ ασλακοί Χι-  
sthenis  
Τωνίσ κοι idest elegans illa uestis: & molles tuniculae ab æmulis aduersa cultus  
riisq; probro datum. hic etiam turpibus: indignisq; in eum uerbis non temperatum:  
quum parum uir: ore quoq; polluto diceretur. Ad eundem modum Hortensius om-  
nibus ferme oratoribus ætatis suæ: nisi. M. Tullio clarior: qui multa cum mundicia  
& circumspecte compositeq; indutus: & amictus esset: manusq; eius interagendum  
forent argutæ admodum & gestuosæ: maledictis compellationibusq; probrosis ia-  
ctatus est. multaq; in eum quasi in histrionem: in ipsis causis atq; iudiciis dicta sunt.  
Sed cum L. Torquatus sub agresti homo ingenio: & infestuo: grauius acerbiusque  
apud consilium iudicium: quum de causa Syllaæ quereretur: non iam histrionē eum  
esse diceret: sed gesticulariam Dionysiamq; eum notissimæ saltatriculae nomine ap-  
pellaret. **T**um uoce molli: atq; demissa Hortensius: Dionysia inquit: Dionysia ma-

B iii

Hortensi⁹

Torquatus